A. D. 1912. Nrus IX.

CURRENDA

ACTA PII PP. X.

MOTU PROPRIO.

DE CATHOLICORUM IN EXTERAS REGIONES EMIGRATIONE.

Cum omnes catholicos Ecclesia materno studio complectatur, tum peculiari quadam sollicitudine caritatis eos prosequitur, qui, ut victum labore quaerant aut meliorem sibi fortunam comparent, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi saepius eis timendum est, ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternae iacturam faciant. Plura enim et illustris Nostri Decessoris et Nostra testantur acta, quanto opere Apostolica Sedes bonorum societatis foveat in salutem emigrantium institutas, quantamque praesertim adhibeat curam, ne Antistites sacrorum patiantur in re tam gravi pastoralem industriam suam desiderari. Iam vero, cum ob aucta populorum commercia et expeditiores commeatus aliasque causas plurimas quotidie in immensum crescat emigrantium numerus, intelligimus Nostri muneris esse idoneum aliquod reperire providentiae genus, quo quidem horum omnium filiorum temporibus succurramus. Equidem valde commovemur maximis periculis, in quibus religio moresque versantur tot hominum, qui, ut plurimum, ignari regionis et linguae atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitae adiumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec, quantum satis est, exspectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis, quae in id sunt institutae. Quae vero ad medendum his tantis incommodis excogitata sunt, optatum non solent habere exitum, propterea quod eorum, qui in hac gravissima causa elaborant, laudabiles conatus aut operis magnitudine superantur aut consensum et unitatem saepe non assequuntur. — Nos igitur tempus esse iudicantes necessitatibus tam magnae multitudinis stabili quadam ratione in perpetuum subveniendi, cum S. R. E. Cardinales e Sacra Congregatione Consistoriali in consilium adhibuerimus, Motu Proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine, apud eam ipsam Congregationem novum Officium, seu *Sectionem* ut aiunt, *de spirituali emigrantium cura* constituimus. Huius Officii partes erunt quaerere et parare omnia, quaecumque opus sint, ut in iis, quae ad salutem animarum pertinent, emigrantium latini ritus melior conditio fiat, salvo tamen iure Sacrae Congregationis Fidei Propagandae in emigrantes ritus

orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus hoc idem unice cavebit Officium, ad quod propterea praescriptiones ea de re decretis Sacrae Congregationis Concilii datas avocamus. — Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adiutandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quae sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere et, quae peropportuna visa fuerint, malorum remedia decernere. Confidimus autem fore, ut quicumque catholicam rite colunt fidem, opus tam sanctum in salutem fratrum institutum precibus atque etiam opibus, pro sua quisque facultate promovere velint, praesertim cum pro certo habere debeant summum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum sua ipsorum caritatis officia amplissimo in caelis praemio remuneraturum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XV. mensis augusti MCMXII., Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

LITTERAE APOSTOLICAE.

COMMITTITUR EPISCOPO RITUS RUTHENI ADSISTENTIA SPIRITUALIS RUTHENORUM IN CANADENSI REGIONE COMMORANTIUM.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam. — Officium supremi Apostolatus Nobis divinitus commissi id ante omnia postulat, ut ea sedulo studio decernamus, quae catholico nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti in universo terrarum orbe procurandae bene, prospere ac feliciter eveniant. Quare in omnes ipsius orbis partes Nos ex hac Principis Apostolorum Cathedra, tamquam e sublimi specula, mentis Nostrae oculos convertimus et quae Fidei propagationi vel rei Sacrae procurationi magis opportuna videantur, nulla interposita mora, ad exitum perducere maturamus. Hoc moti consilio, cum, percrescentibus in dies Rutheni ritus fidelibus in regione Canadensi, venerabiles fratres Archiepiscopi et Episcopi illius regionis admirabili zelo de eorum salute solliciti, eorumdem spirituali adsistentiae propter ritus et disciplinae diversitatem, sufficienter et adaequate providere non possint, quumque propterea Nos enixis precibus rogaverint, ut huic iacturae opportunam medelam afferre dignemur, Nos, auditis VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Congregationi praepositis de Fide Propaganda pro negotiis Rituum Orientalium, omnibusque rei momentis diligentissime perpensis, spiritualem fidelium Ruthenorum in Canadensi regione degentium adsistentiam Episcopo Rutheni ritus demandandam esse existimavimus. Quae

cum ita sint, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi, perpetuumque in modum, Motu proprio deque certa scientia et matura deliberatione Nostris, fidelium Ruthenorum in Canadensi regione nunc et in posterum degentium spiritualem adsistentiam Rutheni ritus Episcopo committimus; ea tamen servata lege: I. Ut Episcopus Ruthenus plenam iurisdictionem personalem exerceat in omnes fideles Rutheni ritus in praedicta regione commorantes, sub dependentia dumtaxat venerabilis fratris Apostolici Delegati. II. Ut ipse Episcopus Ruthenus residentiam suam ordinariam in urbe „Winnipeg" sibi constituat. Haec concedimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter extare ac manere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere et Rutheni ritus fidelibus nunc et in posterum in Canadensi regione degentibus plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum irritumque et inane fieri, si secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus Nostra et Cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisquae Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, etiam speciali atquae individua mentione ac derogatione dignis, ceterisque omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. iulii MCMXII., Pontificatus Nostri anno nono.

(L. S.) R. Card. MERRY DEL VAL, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE.

AD GULIELMUM CARD. VAN ROSSUM, CUI AD CONVENTUM EUCHARISTICUM VINDOBONENSEM LEGATI PONTIFICII MUNUS COMMITTITUR.

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Ad solemnem catholici orbis conventum Eucharisticum, quem nosti hoc anno actum iri Vindobonae mense septembri, cum de more unus e S. R. E. Cardinalibus sit Nobis deligendus, qui Nostram Personam gerat, placet, dilecte fili Noster, id muneris mandare tibi, quem propterea per has ipsas Litteras Legatum Nostrum renuntiamus. Dignum honestissima legatione cum singularis tua te sollertia, tum pietas facit; nec dubitamus, quin mandatum ita exsecuturus sis, ut in eam bonorum celebritatem non modo pontificiae auctoritatis decus sed plane animum Nostrum afferas, percupidum, uti par est, omnium rerum, quae ad augendum divini Sacramenti cultum pertineant. Equidem valde vellemus Ipsi praesentes adesse sacris istis solemnibus, quibus tu praesidebis Nostro nomine; adeo splendida et magnifica sanctaeque laetitiae plena nuntiantur fore. Etenim is est ardor hominum clarissimorum, qui omnem rei apparatum curant; ea frequentia religiosissimorum civium, qui operam iis atque studium navant; ea est amplitudo ac dignitas urbis, in quam per dies praestitutos piorum se multitudo undique

gentium congregabit, ut qui tribuentur honores sacratissimae Eucharistiae, praeclaros, si unquam alias, et vere triumphales esse aporteat. In quo peculiares eaeque summae debentur a Nobis laudes carissimo filio Nostro, Francisco Iosepho, Imperatori et Regi apostolico, qui, ut est diligentissimus Religionis Nobisque maxime deditus, consilium huius habendi coetus mature omni prosecutus gratia, decretas solemnitates splendore maiestatis suae nobilitare cogitat; cuius exemplo serenissimae Archiduces matronaeque primariae ex Domo augusta iam dudum incredibili sedulitate inceptum adiuvant. Itaque conventus Vindobonensis futurus est, ut prospicitur, insignis ad gloriam Iesu Christi; sed non minus sit volumus ad communem fructum. Multum quidem est, frequentes in contemplationem Mysterii Eucharistici convenire bonos, ex eoque communiter petere, unde evadant quotidie meliores. At vero qui hoc Sacramentum caritatis rite colunt, omnino non decet ita suae ipsorum utilitati studere, ut salutem negligant plurimorum, quos aut ignorantia aut incuria aut fastidium ab huius divini Epuli communicatione distinet. Videant, quam periculose aegrotet humana societas, quantoque virtutum omnium torpore languescat, Illum ab se segregans, qui unus curare eam potest; cum tamen Ipsum suus erga homines immensus amor, Sacramenti huius artifex, perpetuo in terris non visum detineat. Hoc igitur spectare, huc summa contentione niti eos percupimus, ut ex Eucharistia, tamquam ex suo uberrimoque fonte, vita Iesu largius in omnes influat, nec solum in animos singulorum privatosque mores, sed etiam in instituta populi universosque ordines civitatis. Neque enim licet aut privatim cum virtute vivere, aut publice tranquillitatem ordinis tueri, nisi divina vis Religionis comprimat motus animi turbidos, ac persuadeat haec caduca bona contemnere in expectationem immortalium. Nos vero communibus consiliis studiisque vestris maxime iuventutem commendamus; quae, cum spem contineat futuri temporis, non est mirum, si potissime ab inimicis Crucis Christi petitur, vel per fallacias doctrinae, vel per illecebras voluptatum. Confidere autem libet fore, ut, quot Vindobonensi coetui interfuerint adolescentes, tot professionem catholicam posthac in omni actione vitae constanter retineant animoseque defendant. Ceterum divinus hominum Redemptor, de cuius infinitis laudibus multiplex fiet ab egregiis oratoribus praedicatio, cuius benignitas celeberrimis supplicationibus implorabitur, Ipse, qui nihil habet antiquius, quam ut, quotquot laborant et onerati sunt, reficiat, profecto super eiusmodi conventum suorum munerum ubertatem effundet. Quorum sit auspex benedictio apostolica, quam tibi, dilecte fili Noster, et omnibus, qui in eodem conventu aderunt, imprimisque augusto Imperatori ac serenissimae Domui eius amantissime impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XV. mensis augusti MCMXII., Pontificatus Nostri anno decimo.

PIUS PP. X.

—+—

S. CONGREGATIO S. OFFICII

(SECTIO DE INDULGENTIIS).

DECRETUM

DE INDULGENTIIS PIO VIAE CRUCIS EXERCITIO ADNEXIS.

Pium *Viae Crucis*, ut aiunt, exercitium, ad salutiferam sanctissimi D. N. Iesu Christi Passionem recolendam, a Romanis Pontificibus enixe commendatum ac pluribus indulgentiis ditatum fuisse neminem latet. Et quoniam non semper nec ab omnibus, erectas regulariter Stationes obeundo, peragi illud poterat, non defuit apostolica Sedes pro iis, qui aut infirma valetudine aut alia iusta causa impedirentur, brevioribus precibus ante simulacrum Ssmi Crucifixi per Fratres Minores — queis ex privilegio apostolico pii eiusdem exercitii moderamen spectat — ad hoc benedictum recitandis, easdem indulgentias adnectere.

Cum igitur per huiusmodi concessionem omnium fidelium utilitati satis consultum fuerit, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV. die 8. maii currentis anni, omnibus mature perpensis, consulendum Ssmo decreverunt, ut quascumque alias, praeter mox memoratam, hac super re concessiones, nominatim vero, quae *Coronas*, quas vocant, *Viae Crucis* respiciunt, revocare, abrogare ac penitus abolere dignaretur; insimul declarando, facultates omnes Coronas supradictas hunc in effectum benedicendi, sacerdotibus quibuslibet, tam saecularibus quam regularibus, in praestantioribus etiam dignitatibus constitutis, hucusque quomodocumque impertitas, statim ab huius Decreti promulgatione nullius amplius esse roboris.

Et sequenti feria V. die 9. eiusdem mensis et anni sanctissimus D. N. Pius divina providentia Pp. X. in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, Emorum Patrum votis annuens, propositam ab eis resolutionem, suprema Sua auctoritate, in omnibus et singulis adprobare et confirmare dignatus est.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 24 iulii 1912.

M. CARD. RAMPOLLA.

(L. S.) † D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

DECRETUM

DE QUIBUSDAM REI BIBLICAE COMMENTARIIS IN SACRA SEMINARIA NON ADMITTENDIS.

Cum semper et ubique cavendum sit, ne quis Scripturas Sanctas contra eum sensum interpretetur, quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia (S. Trid.

Syn., Sessio IV.); id maxime necessarium est in Seminariis inter alumnos, qui in spem Ecclesiae adolescunt. Hos enim prae ceteris oportet sanis doctrinis imbui, quae venerandae Patrum traditioni sint conformes et a legitima Ecclesiae auctoritate probatae; arceri autem a novitatibus, quas in dies audax quisque molitur, quaeque quaestiones praestant magis quam aedificationem Dei, quae est in fide (Ia ad Tim., cap. IV.); si vero insolitae legitimeque damnatae, in destructionem sunt et non in aedificationem.

Iam vero evulgatum nuper est Paderbornae opus, quod inscribitur „*Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament*" auctore *D. Carolo doct. Holzhey*, in quo iuxta neotericas rationalismi et hypercriticae theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, Ionae, Isaiae et Danielis, sententiae audacissimae propugnantur, quae antiquissimae traditioni Ecclesiae, venerabili Ss. Patrum doctrinae et recentibus pontificiae Commissionis Biblicae responsis adversantur et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed pene subvertunt.

Hunc itaque librum S. haec C. de mandato Ssmi D. N. Papae prohibet omnimo, quominus in Seminaria introducatur, ne ad consultationem quidem.

Cum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura *P. Lagrange* et recentissimum opus, cui titulus: „*Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*", editum Berolini an. 1912., auctore *Dr. Fritz Tillmann*, haec quoque expungenda omnino esse ab institutione clericorum Ssmus D. mandat et praescribit, salvo ampliore de iis iudicio ab illa auctoritate ferendo, ad quam de iure pertinet.

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 29. iunii 1912.

C. CARD. DE LAI, Episcopus Sabinen., *Secretarius*.

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

DECRETUM

DE POSTULATU IN MONASTERIIS VOTORUM SOLEMNIUM.

Quo propositum vitae religiosae perpetuo profitendae melius exploretur et dignitati status religiosi uberius consulatur, imminutis, in quantum fieri possit, defectionibus, Emi ac Rmi Patres Cardinales sacrae Congregationis de Religiosis, in plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 2. augusti 1902., sequentia statuerunt, nempe:

1. Quaelibet Postulans in Monasteriis votorum solemnium et clausurae papalis poterit admitti, sine praevia S. Sedis venia, servatis tamen aliis de iure servandis.

2. Quaelibet Postulans, antequam Novitiatum ingrediatur, probanda erit per tempus et iuxta modum in propriis cuiusvis Monasterii Constitutionibus praescriptum.

3. Si nihil in istis quoad haec statuatur, tunc probatio facienda est saltem per sex menses, ita tamen, ut Postulantes intra septa Monasterii probationis causa admissae utantur veste modesti coloris, diversa ab habitu Ordinis, quem non induant, nisi quando Novitiatum proprie dictum inchoaturae sint.

Facta autem de his omnibus fideli relatione sanctissimo Domino nostro Pio Papae X. per infrascriptum sacrae Congregationis Secretarium die 5. augusti 1912., Sanctitas Sua eadem approbare et confirmare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria sacrae Coengregationis de Religiosis, die 15. augusti 1912.

2.

DECRETUM

DE PROFESSIONE RELIGIOSA IN MORTIS PERICULO PERMITTENDA.

Spirituali consolationi Novitiarum sancti Dominici volens consulere et ne caelesti religiosae professionis merito ipsae careant, quo professae moniales ex benignitate sanctae Sedis gaudent, S. Pius V. Constitutione *Summi Sacerdotii* data die 23. augusti 1570. concessit et indulsit, ut quoties aliqua ex iisdem Novitiis nondum professa, de alicuius medici iudicio, ab hoc saeculo transitura conspiceretur, ipsa, dummodo in aetate legitima esset constituta, valeret in mortis articulo regularem professionem ante finem novitiatus emittere; atque adeo Novitiae sic decedentes consequi possent indulgentias et alias gratias, quas moniales vere professae consequebantur. Nec non iisdem monialibus novitiis tunc ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Iubilaei largiri dignatus est.

Huiusmodi favor, vi communicationis privilegiorum, fuit extensus ad omnes moniales et religiosos viros, qui cum Dominicana familia in privilegiis communicant. Simile deinde privilegium alia religiosa Instituta a Romano Pontifice peculiariter obtinuerunt, vel in eorum Constitutionibus a S. Sede approbatis dispositio inducta est, qua liceret ante expletum novitiatum professionem recipere Novitiorum, qui in mortis periculo versarentur. Quin immo nec desunt Superiores religiosi, qui putantes se quoslibet bonorum spiritualium sui Instituti participes efficere posse Novitios periculose decumbentes, hos ad professionem etiam perpetuam admittunt.

Quapropter sanctissimus Dominus noster Pius PP. X. in audientia concessa infrascripto Cardinali Praefecto die 3. septembris 1912., ut in re tam gravi omnes dubitationes submoveantur, ac cupiens pro animarum bono hoc privilegium extendere, haec statuere dignatus est:

In quocumque Ordine vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis, in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur more Religiosorum,

liceat exinde Novitios seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus novitiatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novitii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet:

1. Ut novitiatum seu probationem canonice inceperint.

2. Superior, qui Novitium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, sit ille, qui monasterium vel novitiatus aut probandatus domum actu regat.

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem, quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnimo indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceditur.

5. Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde:

A) si Novitius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit;

B) si convalescat, antequam tempus novitiatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino conditione versetur, ac si nullam professionem emisisset; ideoque: *a)* libere, si velit, ad saeculum redire poterit; et *b)* Superiores illum dimittere valent; *c)* totum novitiatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet si ultra annum, explere debet; *d)* hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 10 septembris 1912.

Fr. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

(L. S.)

† Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius*

S. CONGREGATIO RITUUM.

DECRETUM

CIRCA MODULANDAS MONOSYLLABAS VEL HEBRAICAS VOCES IN LECTIONIBUS, VERSICULIS ET PSALMIS.

A quibusdam cantus gregoriani magistris sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione expositum fuit; nimirum:

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta?

Et sacra eadem Congregatio, approbante sanctissimo Domino nostro Pio Papa X. rescribere statuit: *Affirmative ad utrumque.*

Die 8. iulii 1912.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*

(L. S.)

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

COMMISSIO PONTIFICIA DE RE BIBLICA

I.

DE AUCTORE, DE TEMPORE COMPOSITIONIS ET DE HISTORICA VERITATE EVANGELIORUM SECUNDUM MARCUM ET SECUNDUM LUCAM.

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio „De Re Biblica“ ita respondendum decrevit:

I. Utrum luculentum traditionis suffragium inde ab Ecclesiae primordiis mire consentiens ac multiplici argumento firmatum, nimirum disertis sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, citationibus et allusionibus in eorumdem scriptis occurrentibus, veterum haereticorum usu, versionibus librorum Novi Testamenti, codicibus manuscriptis antiquissimis et pene universis, atque etiam internis rationibus ex ipso sacrorum librorum textu desumptis, certo affirmare cogat Marcum, Petri discipulum et interpretem, Lucam vero medicum, Pauli adiutorem et comitem, revera Evangeliorum, quae ipsis respective attribuuntur, esse auctores?

R. Affirmative.

II. Utrum rationes, quibus nonnulli critici demonstrare nituntur postremos duodecim versus Evangelii Marci (Marc. XVI. 9—20.) non esse ab ipso Marco conscriptos sed ab aliena manu appositos, tales sint, quae ius tribuant affirmandi eos non esse ut inspiratos et canonicos recipiendos; vel saltem demonstrent versuum eorumdem Marcum non esse auctorem?

R. Negative ad utramque partem.

III. Utrum pariter dubitare liceat de inspiratione et canonicitate narrationum Lucae de infantia Christi (Luc. I—II.), aut de apparitione Angeli Iesum confortantis et de sudore sanguineo (Luc. XXII, 43—44); vel solidis saltem rationibus ostendi possit — quod placuit antiquis haereticis et quibusdam etiam recentioribus criticis arridet — easdem narrationes ad genuinum Lucae Evangelium non pertinere?

R. Negative ad utramque partem.

IV. Utrum rarissima illa et prorsus singularia documenta, in quibus Can-

ticum *Magnificat* non beatae Virgini Mariae sed Elisabeth tribuitur, ullo modo praevalere possint ac debeant contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis tum versionum, necnon contra interpretationem, quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio?

R. Negative.

V. Utrum, quoad ordinem chronologicum Evangeliorum, ab ea sententia recedere fas sit, quae antiquissimo aeque ac constanti traditionis testimonio roborata, post Matthaeum, qui omnium primus Evangelium suum patrio sermone conscripsit, Marcum ordine secundum et Lucam tertium scripsisse testatur; aut huic sententiae adversari vicissim censenda sit eorum opinio, quae asserit Evangelium secundum et tertium ante graecam primi Evangelii versionem esse compositum?

R. Negative ad utramque partem.

VI. Utrum tempus compositionis Evangeliorum Marci et Lucae usque ad urbem Ierusalem eversam differre liceat; vel, eo quod apud Lucam prophetia Domini circa huius urbis eversionem magis determinata videatur, ipsius saltem Evangelium obsidione iam inchoata fuisse conscriptum, sustineri possit?

R. Negative ad utramque partem.

VII. Utrum affirmari debeat Evangelium Lucae praecessisse librum *Actuum Apostolorum* (Act. I. 1—2.); et quum hic liber, eodem Luca auctore, ad finem captivitatis Romanae Apostoli fuerit absolutus (Act. XXVIII. 30—31.), eiusdem Evangelium non post hoc tempus fuisse compositum?

R. Affirmative.

VIII. Utrum, prae oculis habitis tum traditionis testimoniis, tum argumentis internis, quoad fontes, quibus uterque Evangelista in conscribendo Evangelio usus est, in dubium vocari prudenter queat sententia, quae tenet Marcum iuxta praedicationem Petri, Lucam autem iuxta praedicationem Pauli scripsisse; simulque asserit iisdem Evangelistis praesto fuisse alios quoque fontes fide dignos sive orales sive etiam iam scriptis consignatos?

R. Negative.

IX. Utrum dicta et gesta, quae a Marco iuxta Petri praedicationem accurate et quasi graphice enarrantur et a Luca, *assecuto omnia a principio diligenter* per testes fide plane dignos, quippe *qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis* (Luc. I. 2—3.), sincerissime exponuntur, plenam sibi eam fidem historicam iure vindicent, quam eisdem semper praestitit Ecclesia; an e contrario eadem facta et gesta censenda sint historica veritate, saltem ex parte, destituta, sive quod scriptores non fuerint testes oculares, sive quod apud utrumque Evangelistam defectus ordinis ac discrepantia in successione factorum haud raro deprehendantur, sive quod, cum tardius venerint et scripserint, necessario conceptiones menti Christi et Apostolorum extraneas aut facta plus minusve iam imaginatione populi inquinata referre debuerint, sive demum quod dogmaticis ideis praeconceptis, quisque pro suo scopo, indulserint?

R. Affirmative ad primam partem, negative ad alteram.

II.

DE QUAESTIONE SYNOPTICA SIVE DE MUTUIS RELATIONIBUS INTER TRIA PRIORA EVANGELIA.

Propositis pariter sequentibus dubiis Pontificia Commissio „De Re Biblica" ita respondendum decrevit:

I. Utrum, servatis, quae iuxta praecedenter statuta omnino servanda sunt, praesertim de authenticitate et integritate trium Evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae, de identitate substantiali Evangelii graeci Matthaei cum eius originali primitivo, necnon de ordine temporum, quo eadem scripta fuerunt, ad explicandum eorum ad invicem similitudines aut dissimilitudines, inter tot varias oppositasque auctorum sententias, liceat exegetis libere disputare et ad hypotheses traditionis sive scriptae sive oralis vel etiam dependentiae unius a praecedenti seu a praecedentibus appellare?

R. Affirmative.


II. Utrum ea, quae superius statuta sunt, ii servare censeri debeant, qui, nullo fulti traditionis testimonio nec historico argumento, facile amplectuntur hypothesim vulgo *duorum fontium* nuncupatam, quae compositionem Evangelii graeci Matthaei et Evangelii Lucae ex eorum potissimum dependentia ab Evangelio Marci et a collectione sic dicta sermonum Domini contendit explicare; ac proinde eam libere propugnare valeant?

R. Negative ad utramque partem.

Die autem 26. iunii anni 1912., in audientia utrique Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, Ssmus Dominus noster Pius Papa X. praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, diei 26. iunii 1912.

FULCRANUS VIGOUROUX, Gr. S. Sulp.
L. S. LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Consultores ab Actis.



Zgromadzenie XX. Salezyanów w dyecezyi.

Wszystkim chyba wiadomo, jak błogą i obfitą w skutki działalność rozwija wszędzie Zgromadzenie XX. Salezyanów, które P. Bóg widocznie na to wzbudził w kościele katolickim w ostatnich czasach, aby służyło potrzebom współczesnym zwłaszcza przez wychowanie młodzieży. Nic więc dziwnego, że biskupi całego katolickiego świata starają się usilnie o sprowadzenie do swych dyecezyi dzielnych synów Księdza Bosco. Wszystkie już dyecezye w naszym kraju posiadają domy XX. Salezyanów; dotychczas brak środków stał na przeszkodzie osiedleniu się tego Zgromadzenia w Naszej dyecezyi.

Kiedy jednak niedawno otrzymałem z zapisu pobożnego wieśniaka do własnej dyspozycyi dwudziestomorgowe gospodarstwo w Tuszymie pod Przecławiem, odniosłem się do XX. Salezyanów z prośbą, by na tem miejscu osiedli i swój dom w dyecezyi Naszej otworzyli. Prośba moja została wysłuchaną, — XX. Salezyanie zdecydowali się przyjąć ofiarę i na razie otworzą w Tuszymie nowicyat zakonny i tak zwane Oratoryum świąteczne dla młodzieży męskiej, a w przyszłości, jeżeli środki się znajdą, może i zakład dla chłopców.

Aby przyspieszyć tę piękną chwilę dla dyecezyi, potrzebują XX. Salezyanie pomocy materyalnej z naszej strony, zwłaszcza, że obok domu pragną wybudować kościół, z któregoby mogły korzystać wsie najbliższe należące do parafii, przecławskiej i rzochowskiej. O tę pomoc odzywam się do P. T. Duchowieństwa i Dyecezyan. — W rozlicznych potrzebach zmuszony jestem odwoływać się do ofiarności kleru i wiernych i dotychczas nigdy nie doznałem zawodu; mam nadzieję, że i to niniejsze moje odwołanie się nie pozostanie bez skutku. XX. Salezyanom dałem pozwolenie do zbierania składek po parafiach; w tym celu mają się porozumieć z XX. Proboszczami, których niniejszem o poparcie proszę. Ze swoich skromnych zasobów przeznaczam na ten zbożny cel tysiąc koron Dalsze ofiary przesyłać należy do Kancelaryi Konsystorskiej.

Mutationes inter Venerabilem Clerum.

Institutus: A. R. D. Wcisło Joannes, Par. de Chomranice, ad benef. in Witkowice.

Constituti: R. R. DD. Zuziak Martinus, admin. spirit. in Męcina, admin. excurr. vac. benef. in Chomranice; Mazur Ludovicus, coop. expos. in Trzetrzewina, admin. vac. benef. in Brzesko et Wolski Bartholomaeus, coop. in Kamienica, admin. vac. benef. in Tropie.

Translati: RR. DD. Kloch Josephus, admin. vac. benef. in Tropie, ad Trzetrzewina; Jacak Joannes, coop. in Radgoszcz, ad Zakliczyn; Jakus Sigismundus, coop. in Zakliczyn, ad Nowy Sącz; Osiecki Alexander, coop. in Okulice, ad Kamienica et Superson Joannes, coop. in Trzciana ad Kamienica.

Applicatus: R. D. Bartoszewski Andreas ad Okulice.

Piis ad aram precibus commendantur:

anima p. m. Kowalski Josephi, par. in Zgórsko, qui die 3. Septembris a. c. pie in Domino obdormivit. Societati precum adscriptus.

p. m. Rączka Francisci, emer. coop. expos. in Ochotnica dolna, qui die 4. Octobris a. c. pie in Domino vita functus est. Societati precum adscriptus.

p. m. Królikowski Boguslai, praep. Congr. Oratorianorum Tarnoviae, qui die 6. Octobris pie animam Deo reddidit. Societati precum adscriptus.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 10. października 1912.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie.